This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Z
665
.B389
B 1,011,379


1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

Z1
665
.B38

Bacelli, Giulio Cesare, 1683-17

DE BIBLIOTHECA

INSTITUENDA

AC

ORDINANDA

LIBER

VERONAE MDCCXLVII

Apud Jo: Albertum Tumermanum in Vico Artium
SUPERIORUM PERMISSU.

Librarian
Rappaport
8-12-2
1209

NOBILISSIMIS VIRIS

Sancti Vicentini Montis Pietatis Conſervatoribus

COMITI JOANNI BAPTISTÆ VALMARANÆ.
COMITI POMPEJO PIOVENIO
COMITI GUIDO BISSARIO
COMITI HIERONYMO VELO
COMITI JULIO VULPIO
COMITI LUDOVICO PORTO
COMITI VINCENTIO ANGUISSOLÆ.
THESAURARIO

4-E-32 Thue

Julius Caeſar Becellius S. P. D.

Quum ſapienter dictum fuerit: conve-nientia cuique, *juxta hanc ſententiam me facturum optime arbitror, ſi librum hunc Vobis, Nobiliſſimi Conſervatores S. Vicentini Montis Pietatis, donaverim. In hoc ſiquidem quae ad cultum diſpoſitionemque Bibliothecae faciunt diu multumque meditata congeſſi, adeoque nullum potiorem ſtudio meo Maecenatem inventum iri certo ſcio, quam ſi Vos deligam. Etenim Magnificae Urbis veſtrae Bartolina Bibliotheca unica, poſt Venetam, ac Patavinam (quae Sereniſ-*

reniſſimae Reipublicae juris ſunt) non tam eximias omnium laudes, quam Publicae nomen in hac Veneta ditione meretur. Vos vero, praeterquam quod S. Vicentini Montis Pietatis Conſervatores eſtis, Bibliothecae ejuſdem uno eodemque opere beneficos tutores praeſtatis. Quibus rebus nil dici poteſt aut gravius, aut munificentius, aut glorioſius. Ingeniis quippe, fortuniſque hominum ſimul prodeſſe, neſcio quid prope divinum eſt. Quid namque abſolutiſſimae foelicitati eorum deeſt, quibus corporum commoda, mentiſque auxilia ſuppeditantur? Utrumque Vos equidem in Urbe Magnifica veſtra praeſtatis. Quare eam non poenitet, immo juvat, immo incredibili voluptate afficit, eos Viros in hanc dignitatem delegiſſe, qui ceteris Civibus Nobilitate pares eſtis, virtute fortaſſe praeſtantiores. Non autem ego is ſum, qui quum novam, ut puto, Bibliothecae ordinationem propoſuerim, aut Urbi veſtrae, aut Vobis, aut peritiſſimo Bibliothecario veſtro Comiti Parmenioni Triſſino, praeire velim, aut praecipere. Neque dignitas Veſtra atque prudentia meretur hoc, neque mediocritas mea patitur. Unum ajo, ſi quid in adinventione mea fructus eſt, ſi quid in elucubratione diligentiae, hoc totum Vobis ac Bibliothecae Veſtrae impenſum iri, non legis in morem, ſed ornamenti atque emolumenti. Quod ſane haud diffiteor fieri poſſe, quandoquidem ſaepe etiam eſt olitor valde opportuna locutus. *Utcumque res ſit, Vos Nobiliſſimi Viri, Urbemque veſtram rogo atque obſecro, ut laborem meum devotique animi ſtudium, aequi bonique faciatis.*

DE BIBLIOTHECA

Inſtituenda, & ordinanda

LIBER.

Ogitanti mihi, & humanae conditionis mala animo repetenti, illud prae ceteris ſuccurrit, Bibliothecas Divini humanique Juris, omniumque artium & ſcientiarum temporumque cuſtodes, vel aetatis injuria, vel hominum inſcientia, vel malitia etiam diſtrahi diminui ac penitus quandoque interire. Equidem ut Hebraeorum libros praeteream, quorum fortaſſe unica Biblia prae manibus ſunt, jam apud eruditos homines inoluit, quid de Graecorum Bibliothecis, quid de Luculli illa, aliorumque Romanorum, quidve de Alexandrina a Ptolemaeis Ægypti Regibus compoſita factum fuerit. Italicas vero ſive medii aevi, ſive poſteriores periiſſe multas ſcimus, & quotidie de medio tolli, noſmet ipſi quaſi oculares teſtes ſumus. Ex quo etenim accuratius ſubtiliuſque librorum indices confieri coepere, ex eo magis magiſque in dies, nobis veterum & novorum codicum ruina innoteſcit. Conſulat enim quivis Graecam Alberti Fabricii Bibliothecam, Latinam ejuſdem conſulat, in his articulis in quibus Scriptorum omnium deperditi libri recenſentur, inveniet profecto, majori ex parte Hellanicos, Latinoſque auctores, tum illorum ſcripta periiſſe: ita ut ea quae ſuperſunt ſe habeant ut minimum, quae tempus abolevit ut maximum. Si vero ad noſtrates, Italicoſque deveniamus, jam

I. 1 cas magn ee p

quod praeſtiterunt ſaeculo noſtro Meurſius, & Fabricius in Graecis Latiniſque, idem fecit XV ſaeculo Antonius Franciſcus Donius, utraque Italica Bibliotheca ſua (quare merito jure primus omnium Bibliothecarius dicendus eſt) ex cujus altera Bibliotheca libri, qui manuſcripti fuere, pene omnes interierunt. Idem multo magis cognoſces, ideſt quot perierint Italorum libri, ex elencho auctorum ab Academia, quam *Cruſcam*, apellant, nominatorum in Hetruſco Dictionario, quorum MS niſi in Gadiana, Medicea, vel in quacumque alia ex Florentinis, Romanis, aut ceteris terrarum orbis Bibliothecis aſſerventur, certe nulli ſunt, inque dies pereunt. Hujus enimvero poenitendi maxime dolendique detrimenti, plura in cauſſa extitere. Ac primo quidem alluviones, incendia, bella, fames, peſtis, ad ſummam diuturnitas temporis, quae marmora exedit, quae urbes & regna internecione tollit. Secundo vero loco, ut libri interierint, inſignem operam dedit hominum ignorantia. Illud namque certiſſime accidit, ita aetates fluere, ita immutari tempora, ut modo cultus exornet ingenia, modo barbaries obtundat & corrumpat. Siquidem nationes inter populoſque omnes, bellum opes parit, regnorum fines prolatat, immenſam divitiarum vim coarcervat. Ex divitiis pax & felicitas & commoda oriuntur, ex commodis iterum otium ac inertia ſuccreſcit, ex inde ſtoliditas, animorum deſponſio & ſervitus & barbaries. Quapropter commodis literae praefforent, librique ſuccreſcunt, barbarie ingeniorum acies obtunditur, literae pereunt. Hoc in Latinis uſuveniſſe, atque Italis, Graeciſque fortaſſe, antiquitas & Hiſtoria nos docent. Immo vero etiamſi Graecae literae earumque flos diutius quam Latinarum perdura-

ve-

verit (tardi ſiquidem ſophiſtae diſertiores tardis Romanis fuere) attamen quum ad eam quam apellant mediam Graecitatem deventum eſt, nuſquam poſtea ad priſtinam dignitatem elegantiamque rediiere, ſcribendi ſaltem: quod Latinis equidem evenit, eorumque in ſermone, quidam etiam Italorum fuere Ciceroniani, Catulliani, Lucretiani. Idem de Italica ſeu Hetruſca lingua factum. Nam exacto XVI ſaeculo, XVII quod nunc eſt, acerrimos bonorum imitatores habemus, Boccatii, Petrarchae, Dantis, aliarumque. Sed ut eo redeam unde diſceſſi, alterum literarum librorumque malum infcitia eſt. Etenim, ut quidam homines acerrimi bellorum hoſtes ſunt, ita & non pauci literarum. Hinc accidit ut tyranni ac reges nonnulli ſcientiarum artiumque ſtudia proſcripſerint: alii libros codiceſque flammis abſumpſerint. De Maumete equidem aliiſque Turcarum Regibus memoriae proditum eſt, lege caviſſe, ne Thraces literis operam darent; ex quo perfacilis conjectura eſt, libros apprime Orientalium Bibliothecarum ab iiſdem regibus igni abſumptos fuiſſe. Certe Cardinalis Beſſarion, Emmanuel Chryſoloras, Marullus aliique, nonnullos Graecos libros in Italiam advexerunt, quum Scytharum & Thracum omnia incendio flagrarent, illiſque debemus permulta Graecorum crudeli fato barbariei ſubducta, exque temporum injuria aquis igne hominumque crudelitate vindicata. Etiamſi in tantis librorum ruinis damniſque, Franciſcus Quevedius Hiſpanus a Diis immortalibus quodam in libro ſuo pie ſancteque expetebat, ut nempe ſiquid mortalium miſererentur, ignem de Coelo mitterent qui immenſam novorum librorum colluviem depaſceretur, inque nihilum redigeret. At hoc quidem malo ex-

empho fieret: nam ut mors, ut reliqua humanae conditionis mala tam juſtos quam injuſtos corripiunt, ita eo ex igni nihilominus boni malique libri tollerentur. At ſane quum haec facere publicae, ut ita dicam, inſcitiae ſit, ignorantiae tamen mixta malitia eſt; ſive potius ars dominandi ob quam quidam putant infirmari literis ingenia, extinguique bellicos ſpiritus; adeoque libros volunt Maumetem ſuis prohibuiſſe. Illa mera illa craſſa ignorantia eſt, quum in puerorum manus quum in lixarum, calonum libris datur pervenire, damnarique ſalſamentariis, limbulariis, pharmacopolis, in eorumque & ſimilium manus, accidit olim Pogio Florentino Hiſtorico Quintilianum invenire, aliiſque auctores alios, ut idem nobis qui vitam vivimus perſaepe uſuvenit. Sed ut ad privatam in libros malitiam magis quam inſcitiam tranſeamus, ea illorum eſt, qui optimos ac rariſſimos codices e Bibliothecis ſurripiunt. De uno certe nobis reſcire accidit, dum Venetiis paucis ab hinc annis moram faceremus. Erat ibi latruncu-lus, qui cum publicas tum privatas Bibliothecas ſtudioſe inviſens, ſi quis eſſet perrarus liber pretioſuſque codex, oculo tenus in pluteis animadvertebat, qua mole, forma, quibuſque membranis ac colore eſſet. Poſtridie, vel nudiuſtertius aut quartus redibat, librumque notato perſimilem omnino, charta pura a ſe conflatum, eiſdem ſpoliis tituloque ſub pallio geſtans; arreptoque confeſtim vero codice, ejus loco fictum inſerebat, abibatque confeſtim. Non tamen diu impunito plagiario eſſe licuit, ſed in flagranti furto correptus, aut in depoſito, aut divenditione, poenas dedit, non furatae ſupellectilis, aurive aut argenti, ſed rapinae liberalis ac eruditae. A ſervis praeterea,

miniſtris, curatoribus furripi libros, quis neſcit? qui quum ſaepe ſaepius manci ſint tomorumque ſeriem corrumpant, domino damnoſi, emptori vero inutiles ſunt. Aliud in cauſſa eſt diſperdi ac corrumpi Bibliothecas libroſque, cum vel amanuenſium, vel typographorum culpa: aut commentantium, aut invidentium, ab eo quod prius fuere deformantur. Hujus rei exemplo eſſe poteſt quod de fato operum Ariſtotelis memoriae proditum eſt. Quum etenim antiquitus nulla eſſet typographorum ars, librique omnes calamo vel ſtilo deſcriberentur, hoc Ariſtotelis libris accidit, ut illorum quidam etiamſi fortaſſe ab Ariſtoxeno, Ammonio, Alexandro Aphrodiſienſi aliiſque ſophiſtis conſcripti, Ariſtoteli ipſi hodie falſo tribuantur. E converſo (ut contrariorum eadem eſt diſciplina philoſopho ipſo teſte) nonnulla Stagiritae detrahuntur & in alios conferuntur. Fuere enim eruntque perpetuo in hominibus haec, ſimulatio & diſſimulatio, plagium ac vanagloria. Sed de Ariſtotelicorum librorum fato, breviter agamus. Ariſtoteles libros ſuos (Strabone teſte) alioſque ex quibus Bibliothecam conciderat, Theophraſto Ereſio diſcipulo tradidit: hic Neleo cuidam Scepſio: iſte heredibus ſuis, literarum omnium ignaris. Scepſii heredes libros Ariſtotelicos omnes occuluere, Attalicorum Regum, prae timore, qui reges, codicibus undequaque, vi etiam coactis, inſignem Bibliothecam comparabant. Poſthaec Ariſtotelici libri ad heredes Theophraſti & Ariſtotelis nunnullos pervenere: ab iis Apellioni Tejo venditi, qui (ut nonnulli hominum hodie ſunt) magis erat eruditionis cupidus quam eruditus. Hicque Apellico, Ariſtotelis libros in tot manus translatos totque caſus paſſos, qui jam & depravati erant & corroſi, lacunis perperam expletis magis ma-

giſ-

giſque corrupit. Poſtremo, quum Cornelius Sylla Felix Athenas expugnaſſet, tunc primum eadem Ariſtotelis opera librique Romam delati ſunt, quibus ultimam manum ſeu labem attulit Tyrannio Grammaticus, ea, manu deſcribendo: erantque vel multi eorum vel omnes in Luculli villa ac Bibliotheca, quo tempore Cicero librum III de Finibus ſcribebat, ut ibidem ipſe teſtatur. Haecque eo dixi breviter quidem, ut ſciremus eadem ac fortaſſe peiora ſcriptis tum Graecorum quum Latinorum eveniſſe, ideoque pro majori parte interiiſſe aut informes & mancos perveniſſe ad nos. Poſtremum tot deperditorum librorum malum extitiſſe credo, quod ſeris nimium temporibus Typographica ars inventa eſt. Etenim a Romanis & Graecis omnia calamo ſeu ſtilo deſcribebantur, quumque ſervorum & amanuenſium opera id fieret, adhuc tamen impoſſibile eſt exemplaria ejuſdem libri tot extitiſſe, quot hodie typorum ope evulgantur. Nullus enim eſt tam malus liber, cujus non quinquagena, aut millena, aut plura etiam exemplaria non efformentur. Ex hoc itaque periere libri, qui etiamſi poſteris temporibus reſcripti fuerint, a paucis fuere, deleto Graecorum Romanorumque imperio, barbariſque rerum omnium, literarumque etiam potitis, donec ad presbiteros monachoſque deſcribendi miniſterium delatum eſt, qui pauciſſimi fuere.

II. *Utrum ids utilius animo nutilius fuerit.*

Sed plurimis cauſſis adducti quidam dubitavere, utrum omnino Bibliothecae ſervandae, immovero an ſcientiarum ſtudiis opera danda eſſet. Nam primo veteres optimique libri majori parte nulli ſunt, quique reliqui ſunt, valde deformati. Satiu autem fuerat (ut ajunt) illos quos habemus omnino periiſſe, quam vel paucos tantum, vel dimi

dios

dios vel illorum anecdota supereſſe. Etenim primum ex reliquiis irritatur animus, accenditurque incaſſum cupiditas: ſecundo vero loco criticorum & commentantium licentia peſſime ſupplentur, vel huic unum, alterum illi adjudicando, vel abrogatur. Poſt autem renatas & Graecas & Latinas Italicaſque literas, immo vero poſtequam non Itali modo, ſed Galli, Hiſpani, Angli, Germani, Batavi ſcribendo operam dare coeperunt, tanta fuecrevit non bonorum modo copia ſed malorum librorum colluvies, ut perantiquis illiſque optimis pereuntibus, ingruentibus vero pejoris notae pene infinitis, quando res ad trutinam revocetur, adhuc Quevedianum votum adhuc deprecatio inſtauranda foret, quae de Coelo ignem, quae de terra alluviones & colluviones libris pie ſanctеque imprecaretur. Praeterea non ita pauci nutavere olim & nutant hodie quaerentes, an utilitati, an damno civilis vitae univerſa ſtudia tribuenda ſint. Etenim acerrime a permultis diſputatur adhuc hinc inde, illis quidem volentibus neque ad civica negotia, neque ad commercia univerſamque mercaturam, neque ad bella quicquam libros facere. Nam pagani praecipue homines (quos vulgo ſaeculares dicimus) aut temporis ob diſciplinas ac ſtudia jacturam faciunt, aut mentis aciem obtundunt, aut nimis acuunt, adeoque rebus agendis minus aptſ ſunt. Malorum etiam majorum quidam literas in cauſſa eſſe voluerunt, ideſt Fidei ſimplicitati moribuſque obeſſe, quapropter Eugenius IV. P. M. Romanam juventutem a liberalibus ſtudiis dehortabatur. Quibus omnibus aliſque in contrarium auctoribus ſive argumentis breviter reſpondemus, illudque praecipue: ut cultrum & pani ſecando, & hominibus interficiendis aptum eſt, ita literis

poſ-

poſſe & bene uti & abuti homines: utque leges non ideo cultros aut enſes tollunt, ita artibus ſcientiiſque non ideo interdicendum. Deinde vero, etiamſi civibus carendum literis eſſet, in clericorum adhuc monachorumque commodum libros Bibliothecaſque ſervari debere, quantumvis pagani ipſi vel inepti literis forent vel damnoſe ſtudendo agerent, vel impie: quoque pacto anachoritae olim codices ſervando, eoſque identidem deſcribendo, Bibliothecas nobis adſervarunt, ab iis aequi bonique faciendum foret, quum nos nunc typis ac aere proprio eiſdem ſartatecta ſtudia arteſque liberales facimus; quae etiam, ſi Diis placet, liberales ideo dictae ſunt quia liberis hominibus & honeſto loco natis dignae ſunt. At vero quum partim ab imprudentibus, ne malignos dicam, partim a Scepticis quae ſuperius diximus diſputentur, qui ajunt: nihil ſciri, nihil comprehendi poſſe, atque ideo Bibliothecas libroſque nihil agere, temptemus eos quoque, ſi qua facultas noſtra eſt, redarguere. Signa certe inter homines, ad humanam vitam & commercia, concedenda ſunt atque ſervanda, puta voces, nutus & geſtus. Niſi ſi non vivorum, ſed mortuorum humanum genus eſt. Proinde literae etiam quum ſigna ſint, non abiiciendae, ſaltem inter loco diſtantes homines, ſaltemque ob rationes, contractus, teſtamenta, judicia. Igitur quaecumque literae hiſtorias, artes mechanicas ſervant liberaleſque, adhibendae tenendae ſervandae ſunt. Igitur & Bibliothecae tenendae ſervandae atque ordinandae: quae humanarum Divinarumque artium ſunt quaſi theſauri ac depoſita. Quod ſi nullas velimus eſſe Divinas, aut humanas artes, nec civilis vita, nec commercia, nec Religio futura ſunt. Sed, ut

ar-

arctius Scepticos Pyrrhonioſque conveniamus & indiſſolubiliter capiamus. In naturae rerumque ordine prius aliquid dictum, quam reſponſum eſt, priuſque ſcriptum quam de ſcripto diſputatum fuit, neque adverſus ſcripta vel dicta diſputare quis poteſt, niſi utraque memoria monumentiſque ſervata fuerint. Etiamſi igitur, dilui poſſint artium omnium ſcientiarumque principia (quod a Sexto Empirico tentatum eſt in libris adverſus Mathematicos, inque Scepticis Inſtitutionibus) nihilominus vel ſcripto diſputatio, vel memoria ſervanda eſt. Si vero poſt primam contradictionem, quae extemplo iniri ſolet ac poteſt, ſecunda etiam ac tertia opus ſit, jam non memoria tantum ſed ſcriptione ſervanda ſunt dicta. Voluminum igitur procuratio & Bibliothecarum cuſtodia a Scepticis etiam Pyrrhoniiſque concedenda eſt. Quod autem dictitant, eo quia boni ſerventur libri, malos identidem inoleſcere ac ſervari, maloſque libros neque Dogmaticis prodeſſe, & a Scepticis multo magis redargui, ei nos reſpondemus: malos libros tolerandos potius quam tollendos: contraria enim ex contrariis magis perſpiciuntur ac elucent; eſtque pulchritudini emolumentum, turpitudinis proſpectus. At ex bonorum malorumque librorum mixtione, ignari, mediocrique ingenio falluntur. Ecquid inde? ſive potius: cur coecus indicat de colore; aut quid ſus ad minervam, aſinuſque ad lyram? Immo quaſi expedit, tantam eſſe malorum librorum copiam, bonorumque admixtionem, ut acria ingenia internoſcantur, quorum eſt in literis regnare, delectumque habere ſtudiorum librorumque.

His igitur diſputatis, ſi de paucitate veterum librorum quaerimur, ſi de corruptione, ſi de novorum colluvie, ſi de ſcientiarum incertitudine, va- III. *Librum ſit, omni ea Bibliotheca ſervandos.*

nitate, damno etiam quod aliquibus afferant, adhuc tamen libri ſervandi ſunt, a Dogmaticis religioſe, a Scepticis neceſſario. Ac primo quidem Graeci Latinique cuſtodiendi ſunt, juxta illud: *pauperis eſt numerare pecus*. Quod autem ad corruptionem ſpectat veterum librorum, aut ad fucum ſcriptoribus factum, aut ad plagium in eoſdem commiſſum; criticorum artis ac judicii eſt, vera a falſis, ſuppoſita a legitimis ſecernere, furta vindicare, mendoſa corrigere, obſcura illuſtrare. Quod autem ad Dogmaticos Academicoſque pertinet, a ſacris literis docemur, quod Deus tradiderit mundum diſputationi eorum. Ut ergo nulla foret diſputatio, niſi mundus eſſet, ita ſi neque libri forent, vix ulla exiſteret Pyrrhoniorum redargutio. Denique iis ad quos pertinent, literae concedendae ſunt. Quare a primo ad ultimum, quod in quaeſtione erat abunde probatum eſt: omni cura Bibliothecas eſſe ſervandas.

IV. *Quo pacto ordinanda Bibliotheca.* Nunc ad ordinationem Bibliothecae deveniamus. Heic nemo putet nos, aut Architectos, aut librarios, ideſt vel qui librorum aedes deſignemus ichnographia, orthographia, ſcenographia, vel qui typos pretioſiores aut inſigniores commemoremus & codices. Scio ejuſmodi rebus, & ut minio auroque illinantur, utque Anglis artificibus vel Gallis expoliantur, quoſdam delicate eruditos hodie delectari. Nos librorum molem qui jam hexapedam excedunt, characterum pulchritudinem chartaeque ſoliditatem, candorem, mollitiem, moramur nihil. Typorum vero delectum ſi quis etiam a nobis expoſcat, eum ad librorum mercatores delegamus. Una unica provincia eſt, de iis quae mente intelliguntur agere, non de iis quae manu tanguntur. Neque nos itidem fugit, *Galeſium* natione

ne Gallum de methodo Bibliothecae ſcripſiſſe, tum judicium de eadem inſtruenda *Gabrielem Naudaeum* Gallum quoque expoſuiſſe. Si illi quid me rectius dixere, illis acquieſce, ſi quid ego, opera mea utere. Porro libros univerſos, & linguarum ratione habita, & temporum partimur. Qui utrubi ſe ſe habeant, meliori ordine digeſti erunt, quam ſi ambitioſis *Theologorum* titulis, *Philoſophorum*, *Poetarum*, *Oratorum*, *Hiſtoricorum* comprehendantur. Placuit hoc quibuſdam, hodieque perplacet, libros nempe ad genera, ſeu ſpecies, ſeu materias redigere, eo quia, ut puto, Bibliothecae conditor certo credit in aliqua eorum claſſe ſe collocatum iri non immerito. Nam ſi Graecus, vel Latinus, vel Hetruſcus dicatur, timet ſibi ne eum ſcriptores elegantiſſimi ejuſmodi linguarum cogant ſolum vertere, mentirique gentem ac familiam, accuſent. Sed neque Antiqui (quum ſane poetae, philoſophi, theologi fuerint) talia nomina ſibi indidere, quae nunc oboli conſtant, aſſis teruntii nihili. A poſteris potius laudatoribus, immo verius a Bibliothecariis ipſis eo nomine apellati ſunt, ſubque iiſdem titulis in Bibliotheca diſpoſiti. Verumtamen ordinem librorum noſtrum nitidius explicemus: nam quae ordinis ejuſdem venus, quaeve utilitas ſit inferius differemus. Ajo igitur nationum prius, deinde temporis ac aetatum in Bibliothecae diſpoſitione rationem habendam. Quum nationes dico, Hebraeos intelligo, Graecos, Latinos, Italos, Germanos, Gallos, & cetera. Quum tempora aetateſque addo, hoc velim dicere, ut ex. gr. Graeci ordine digerantur prius qui fuere ante Homerum, ſi quorum libri ſint, aut fragmenta. Deinde Homerus, Heſiodus, AEſopus, Phocylides, Pherecydes, Pytha-

thagoras, Empedocles; & ſic de ſingulis. Memento tamen priuſquam ulterius progrediar, Hebraeos libros, & Orientis totius antiquarum linguarum autores, prae Graecis collocandos, ab iiſque Bibliothecam orſum iri. Quod de Graecis dixi, idem & de Latinis accipe, ita ut priora loco ſint Latinorum fragmenta ante Plautum. Poſt Plautum ſequatur M. Portius Cato de re ruſtica. Inde Terentius, proin Cajus Valerius Catullus, pone Cornelius Nepos, M. Terentius Varro, M. Tullius Cicero, Salluſtius &c. Sunt tamen qui ſeriem hanc claſſicis tantummodo auctoribus libentius continuarent, ita ut Corpus Romanarum LL turbam numerumque clauderet. Sed ſi reliquos quis addere velit eoſque etiam qui noſtra ad uſque tempora Latine ſcripſere, non inficias iverim; ita tamen ut ex Diariis aliiſque Indicibus, recentiorum ſervetur aetas ac genealogia. In recentioribus enim ordinandis Latinis ſcriptoribus eadem futura eſt difficultas, quae in Italorum Operibus nominibuſque. Nam in Italicis librorum Elenchis ſeu indicibus forte accidit, ut nulla habita ratione ordinis vel aetatis, duce tantum alphabeto in normam digeſti ſint. Primus omnium, quod ſciam, aut Italorum, aut etiam externorum Franciſcus Donius librum conſcripſit cui titulus *Italica Bibliotheca*. Is (ut omnia inventa ſunt primitus rudia) auctorum nominibus ac operibus contentus fuit, eiſque in alphabetum diſpoſitis. Eamdem provinciam ſuſcepit praeterito ſaeculo Clariſſimus Albertus Fabricius, eamque exſecutus eſt duplici Bibliotheca Latinorum, Graecorumque, in quibus praeter ineffabilem eruditionem atque doctrinam, temporum nationumque legem ſervavit; ad quem, ob ordinem, tum omnimodam ſcriptorum librorumque

que notitiam, eum qui Bibliothecam condere velit, demandamus. Quod ad Italicam ſpectat, neque Donius, neque Haymius, neque Fontaninius, aut Creſcimbenius, aut alius quivis, quem legerim (nam alii ſunt, qui Italos ſcriptores congeſſere) nemo inquam ferme illorum, ſervata auctorum aetate ac temporibus, rem tranſigit. Porro ante Italicam Bibliothecam (de qua ſervata ratione temporum, editiſque ordine libris, ſcribendum foret) alia eſſet concinnanda *Provincialium* Poetarum ſcriptorumque, ſi qui ſunt, ordine temporum diſpoſitis tam auctoribus, quam operibus ac manuſcriptis. Etenim primi Poetae noſtri *Provincialium* poetarum veſtigiis inſtitere: ideſt Galliae Narbonenſis ſecundae, quod abunde Petrus Bembus Cardinalis, Creſcimbenius, aliique docent. Quare ante Italos *Provinciales* reponendi: de quibus Gallica lingua ſcripſit Joannes Noſtradama, Italice vero vertit Joannes Judex. *Provincialibus* Siculi addendi ſunt, qui non Italica communi lingua ſed patria carminibus luſere, quorum primi primorum Italorum aetatem aequarunt: deque Siculis ſcriptoribus opus extat Antonii Mongitoris. Sed de Italis longe plura animadvertenda ſunt, quam ſcripſerint Donius, Haymius, Fontaninius; ſiquidem Franciſcus Maria *della Chieſa*, & Andreas Roſetus de Allobrogis ſcriptoribus egere, Nicolaus Topius de Neapolitanis, Albericus de Venetis, Ariſius de Cremonenſibus, Orlandius de Bononienſibus, Jacobillus de Umbris, Michael Juſtinianus de Genuenſibus, Oldoinus de Romanis, Maffeius de Veronenſibus in ſua Veronae illuſtratione. Nonnihil etiam utilitatis afferent Veneta Diaria, quae conſcribi coepere anno MDCC. & Romana Tinaſſii. Item *Conſiderationes Literariae* praefati Scipionis

Maf-

Maffeii in quibus praeſertim magnum additamentum apponitur Fontaniniae Bibliothecae. Ea tamen nullo jure, niſi ſi magna cum injuria de *Italica Eloquentia* inſcribitur: nam certe Hiſtoricos, Philoſophos, Geometras, Architectos, ut mundi ſint ac elegantes negabit nemo, eloquentes eſſe velle, aut impoſſibile eſt, aut ineptum. ſed ſaepe ſaepius in librorum inſcriptionibus ſive titulis ambitio magis quam fides & perſpicua contentarum rerum ſignificatio locum habet. Fontaninius fortaſſe timuit, quum ejus liber Italica Bibliotheca inſcriberetur, ne ſcriptorem homines pro librario acciperent, adeoque eruditionem ſuam, doctrinam, gloriam nihili facerent. Sed, ut primitus ajebam, ſi de Italica Bibliotheca ad exemplum Fabricii quis ſcriberet, ideſt ſervata hominum genealogia, temporumque chronologia, facillimum eſſet hanc, quam infra exhibebimus iconem ſeu ſchema Bibliothecae diſponere. Nominavi autem illos etiam, qui non tam antiquos, quam recentiores Italos, eorumque opera congeſſere, tam Italice, quam Latine ſcripta, ut ſi quis velit ſeriem Latinorum Italicorumque ultra *Claſſicos* continuare, utrorumque nomina libroſque inveniat; multoque magis id faciat ſi quis velit integram ordinatamque Italicam Bibliothecam componere, quam etſi perdifficile ſit elucubrare, nihil tamen, ut in proverbio eſt, difficile volenti nitentique. Igitur hic ſit diſtribuendae Bibliothecae ordo, qualis in hoc ſchemate.

BIBLIA tum Hebrei libri ac Orientalium veterum linguarum
GRAECI.
LATINI.
PROVINCIALES, & Siculi.

ITA-

ITALI.
INDICES rerum.
INDICES verborum.

Quum quinque ſuperiores librorum claſſes vel capita ulterius explicaverimus, jam citerius poſtrema duo quae ſeptenarium numerum complent, enucleanda ſunt. Indices, rerum intelligo ac voco Catalogos librorum omnes, qui Bibliothecae nuncupantur, ideſt Hebraea & Orientalis, Hellanica, Latina, *Provincialis*, Italica; iſſaeque ordine temporum, ut nos deſcripſimus, ponendae etiam ſunt in Bibliotheca. Praeterea Lexica ſcientiarum omnium atque artium ex. gr. Legum, Medicinae, Philoſophiae, Botanicae, & ſi qua ſunt alia. Adde inſuper Acta Eruditorum omnia, ſeu literatorum Diaria, ut Trevultiana, Lipſienſia, Academica ſcientiarum Pariſienſia, Londinenſia ſcientiarum Societatis, Veneta, Florentina. Quibus ex Indicibus jam dixi, poſſe recentiorum librorum unum ſupremum omnimodumq; Indicem colligi, diſpoſitis temporibus linguiſque, ut in eis ſcriptorum quiſque locum teneat ſuum. Sed & pronum erit cuicumque, ad hanc claſſem ordinemque referre Geographiae ſcriptores, ut Cellarium; quaedam antiquitatis Collectanea, ut Aldi, Gruteri, Fabretti lapides & monumenta, tum Reineſii ac Muratorii. Item Bailii, Morerii, Hoffmanni & Chamberſii Dictionaria: Aldrovandi, Geſneri Hiſtoriae naturalis collectiones, aliorumque. Attamen memento Opera praedicta atque nomina Indicum rerum congeſſiſſe me in exemplum; quae ſane habita linguarum ac aetatum ratione nihilominus diſponi debent. Haec duo capita maxima ſunt heic & ubique diſtinctionis inſtrumenta. Ad verborum Indices ut tranſeam, ii ſunt Lexi-

co-

cographi Hebraici, Orientalium linguarum, Graeci omnes, Latini omnes, Hetruſci omnes. Grammaticos item ordine praedictarum linguarum, ſi me audies, addes quoque. Utrumvero grammatica quaevis ad res pertineat, an ad verba, frigidiuſcula ipſorum grammaticorum lis eſto. Sed quoniam viventium ac vigentium linguarum, praeter Italicam, nulla adhuc mentio facta eſt, cum aliae quoque ad cultum elegantiamque non poenitendam pervenerint, ipſiſque conſcripta incredibilis rerum copia inveniatur, ne ſuperbiae nota aut incogitantiae, aut negligentiae inuratur nobis, de peregrinis quoque immo jam patriis civibuſque linguis, dicamus neceſſe eſt; ſunt enim jam a Muſis ipſis civitate donatae. Sit ergo aliis ſeptenarius numerus: in quo aditus pateat libris.

GALLICIS,
HISPANIS,
ANGLICIS,
GERMANIS,
ORIENTALIBUS,
INDICIBUS rerum,
INDICIBUS verborum.

De quibus breviter differamus. Libri omnes memoratis linguis conſcripti, eodem ordine procedant & collocentur, quem antiquis Orientalibus, quem Graecis, Latinis, Italiſque indiximus: ideſt ordine chronologico, auctorumque ratione ſervata; quae dummodo conſtet, an Oratores, an Hiſtorici, an Poetae ſint, an quid aliud, nihili facimus. Quod ſi cui nunc mirum videatur, vel ſuperius viſum fuerit, iis quae adverſus dici poſſunt; nos infra reſpondebimus. Nunc quoniam tam privatae, quam Publicae Bibliothecae, uno eodemque opere, quod in praeſentiarum ſcribimus inſer-

ſervire debet, illud primum dicimus, duplicem nempe propoſitum *ſeptenarium* numerum, Publicae Bibliothecae a nobis aſſignari, ſed primo tantum privatam eſſe poſſe contentam credimus. In qua etiam partitio quaedam adhuc facienda eſt. Si enim privatus vir elegantiae ſcribendi tantum aut legendi deditus ſit, is poteſt claſſicis Graecis, Latiniſque, & Italis inſtrui, ita ut (exceptis Graecis qui omnes uſque ad poſtremos, digni lectu ſunt) Latinos poteſt Juſtinianaeo ſeculo terminare; Italos vero feliciſſimis Caroli V. Imp. ac Leonis X. P. M. temporibus. Si vero is qui Bibliothecam parat Criticus ſit omnimodaeque eruditionis cupidus & amantiſſimus, poteſt ac debet ad extrema uſque tempora cujuſque linguae ſcriptores & ſcripta continuare. Quin etiam non primum tantummodo *ſeptenarium*, ſed alterum medius fidius Bibliothecae indere, ideſt Gallos, Anglos, Hiſpanos, Germanos auctores & tum Orientalium veteres quum recentiſſimos, aut illorum omnium eos quibus ſe videt praeſertim indigere, quibuſve maxime delectatur. Secundum haec omnia quae de ordinanda Bibliotheca diximus, de loco etiam quaerendum eſſe credimus, ideſt de uno aut pluribus Bibliothecae ejuſdem conclavibus, non quidem architectonice, aut ratione habita icnographiae, ſed ad librorum poſituram, ac legentium commoditatem. Celebriores terrarum orbis Bibliothecae, uno quantumvis ingenti Odeo terminantur atque clauduntur. Ita Vaticana, ita Veneta D. Marci, in cujus veſtibulo Graeca ſigna poſita ſunt, intus vero tot praeclara Graecorum MS: ita unico conclavi conſtat Viennenſis, Pariſienſis, Oxonienſis, ita publicae, ut plurimum, privataeque ferme omnes. Sed, pace dixerim tantorum exemplorum, ut

Bibliothecae corpus unum, ſpeciei ac magnificentiae maxime inſervit, ita ſtudiorum commodo, idearumque partitioni minime aptum eſt, quare juxta propoſitum ſuperius *Septenarium* unicum vel duplex, forent etiam Bibliothecae conclavia ſeparanda. Verum tamen de hac re, ſequenti oratione dicemus.

V. *Huſus ordinationis commoda.*

His ita poſitis ac diſpoſitis, de commodis jam ordinationis noſtrae dicamus. Nam oratorum more, confirmationem prius inſtituemus, deinde ad confutationem eorum deveniemus quae obiici poſſunt. Primum illud eſt, quod ex ita diſpoſitis libris, nulla confuſio, ſed maxima idearum ideſt ſpecierum ordinatio in ſtudioſi mente deditique literis oritura eſt: qua ordinatione nihil recentiores Logici inveniunt utilius, vel ad id quod dicimus memoria ſervandum, vel ad id intelligendum, vel ad hoc cum illo contendendum, ac dijudicandum, vel ad quid veri noviter inveniendum. Nam quid primum fuerit in Graecis, Latinis Italiſque literis, quid medium, quid ultimum, non uno mentis tantum, verum etiam oculorum intuitu, facile erit perſpicere, chronologica hac ordinatione propoſita. Verum ad ſcientiam doctrinamque, fructum hunc capiemus, in quibuſdam literis primo nata ingenia feliciora fuiſſe, in quibuſdam aliis ſecunda, & media, in pauciſſimis poſtrema. Exinde fiet quoque, ut juſtam hauriamus ſcriptorum omnium exiſtimationem, rectaeque imitationis prototypa nobis proponamus; tum de quo ſcriptum ſit, de quo non, ad noviſſime elucucrandum, anſam capiemus. Critici vero eo commodius genera differentiaſque dicendi in Italis noſtris (quos Hetruſcos dicimus) perſpicient. Qua in re coecutimus valde, eſtque aliquid

ten-

tentatum in poetis praeſertim, ſed in proſae orationis ſcriptoribus effectum nihil. Quid namque Boccatium inter, & Bembum, quid hunc inter & Caſam, quid utroſque inter & Caſtilioneum interſit; ſit ne Segnius gravis, Bembus iterum in Hiſtoria, quam ipſe Italicam reddidit, ſimplex, ſitne verboſior Guicciardinius, Varchiuſve Tito Livio, ſitne Tacito clarior eodemque acutior Macchiavellius; ad extremum formis iſtis ſimilitudinis ac diſſimilitudinis, venuſtatis, aſperitatis conſultae, verboſitatis non poenitendae, Phiſiologia noſtra adhuc caret. Tota hactenus de verbis diſquiſitio fuit, magiſq; grammaticorum labor ac cura, quam rhetorum; quaeque plus neceſſitatis habuit quam ſplendoris aut lucri. Alia fuit Hermogenis etiamſi valde adoleſcentis tardique ſophiſtae induſtria, qui de Formis Graecorum ſcriptorum omnium egit. Nam Æſchinem demonſtrat politicum purumque poſt Xenophontem, Herodotum ſuaviſſimum ac praeduleem, Iſocratem pulchrum, Thucididem magnificum, Platonem concinnum, Xenophontem ſimplicem, purum, perſpicuumque. Sed ut illuc redeam unde diſceſſi, non ideo menti aut memoriae diſpoſitio noſtra officiet, quia primo intuitu officere videatur. Culpabunt enim quidam meditationem inventionemque noſtram, eo quod immiſceantur poetis oratores, hiſtorici philoſophis, utrique primis, primi utriſque. Etenim perpetuo prior exiſtet, Homerus Heſiodo, ſi de poetis loquamur, Heſiodus AEſopo, AEſopus, Phocilide, Phocilides Pherecide &c. Item Herodotus hiſtoricos omnes anteceſſerit, Antiphon oratores, Democritus vel quivis alius philoſophos. Idem de Latinis dic, idem de Italicis. Ne autem in Bibliotheca condenda vel diſponenda religioſe adeo ſtes ſcribendi generibus,

poetico videlicet, oratorio, hiſtorico, philoſophico, in quibus adeo quidam ſibi perplacent in diſtributione ſua, exempla iſthaec duo accipe, ut magis ſcriptorum genealogiae, quam ſcribendi ſpeciebus te accommodes. Ex Homero, qui tempore ferme, at dignitate certe, omnibus Graecis praelucet, dicendi veneres ſurripuere atque doctrinam oratores Graeci omnes, Hiſtorici, Poetae, immo vero philoſophi & naturalem & morum ſcientiam omnem, quod nonnulli animadvertere ac prae ceteris Rapinius Gallus. Adeo ſcriptorum genealogia potius, quam ſpecies ac claſſes in Bibliotheca ad idearum ordinationem faciunt. Sed in Italis, ac noſtratibus, quid magis abeſt a lyrica Franciſci Petrarchae, quam proſa oratio Joannis Boccatii in Fabellis ſuis, ſeu verius hiſtoriolis, quas *Novellas* vocamus. Attamen, ut Borghinius, Cambius, Antinorius, in adnotationibus ſuis ad ejuſdem Boccatii *Novellas*, animadvertunt, multa ibidem tranſtulit ex Franciſco Petrarca lyriciſq; ſuis. Praeterea, ex hoc ſyſtemate ac Bibliothecae ordinatione, puriſſima, perſpicua ſolidaque emanabit magnarum artium & ſcientiarum hiſtoria, cum initiis, progreſſionibus, perfectione, caſuque etiam atque interitu quarumdam literarum; quae, ſi etiam quandoque reviviſcere coeperunt, ut certe Latinis Italiſque accidit, id etiam ex auctorum ſerie ita diſpoſita facillime colligetur. Hoc de Latinis quicumque percipiet, a XIII ſaeculo uſque ad finem XVI. Nam Dantes Petrarca Boccatius primi Latinarum reparatores, fundatoreſque Italicarum literarum fuere. Ex eo non pauci alii, ſed praecipue Antonius Campanus latine conſcripſit, ea copia eoque lepore ac quaſi dixerim eloquentiae flumine, quod poſteriorum nemo (meo

qui-

quidem judicio) aequaverit. Succeſſere Bembus, Sadoletus, Fracaſtorius, Caſa: Bembus quidem ſtrictior ac limatior, Caeſarique in Hiſtoria perſimilis, Joannes vero Caſa in *officiis ſuis inter majores & minores amicos*, didaſcalico Ciceronis generi inhaerens. At Sadoletus, ab iis omnibus diverſiſſimum genus praeſtitit, nimirum de ſacris, theologiciſque rebus (venia verbo ſit) latiniſſimam dictionem: Fracaſtorius vero, latine ſcribendo paria omnibus praeſtitit, niſi ſi majora. Ipſe enim, proſa oratione ſua, Scholaſticorum omnem atque Averroiſtarum barbariem eliminavit, non quidem diſputatione, ut Hermolaus Barbarus adverſus Picum Mirandulanum fecit, ſed de philoſophicis, phyſicis, aſtronomicis rebus, latine ſcribendo, mira elegantia perſpicuitate & copia. Cujus utinam proſae orationis libros, qui ejus carmina ediderunt, typis renovaſſent. Intelligerent profecto Galli; Anglique Philoſophi, ab Italo Fracaſtorio ante Italum Galileum non pauca in recentiori, ſive melius, in antiquiſſima Philoſophia tentata. Sed in ſerie Bibliothecae noſtra, non idem quod Latinis literis, eveniſſe Graecis percipiet quivis. Latinae etenim renovatae, & quod ad intellectum & quod ad ſcriptionem fuere, Graece, non pari pacto. Recentiorum namque hominum etſi multi ad Graecos ſcriptores perlegendos explanandoſque ſe contulere, non ita multi tamen Graece ſcriptitarunt idque ſi fecerunt, carminibus magis, quam proſa oratione praeſtiterunt. Cujus rei haec ſuppetit cauſſa ſeu conjectura potius: theatrum & coronam amari a literis. quum vero, comparate ad recentes Graecos ſcriptores, intelligentium turba minima fuerit, hinc conatus cecidere, ſcribendique cura, quodque favore eguit, effectu quoque caruit.

At nunc temporis illud miror, illud mihi bonisque omnibus quasi pro monstro est, Hetruscas Italicasque literas, quae transacto saeculo de superiori loco ad imum devenerant, ob scribendi licentiam, non attentis primorum Italorum exemplis, hodie quoque vix exsurgere. Nam, si carmina excipias, quae ad Dantis, Petrarchae aliorumque prototypos efformantur, non id prosae orationi, vel apud pauciſſimos evenit. Ecquid, diſſimilitudinis hujus, in cauſſa eſſe dixerim? An ideo quia peregrinarum linguarum commercium, quod in epiſtolas familiaresque ſermones irrepſit, orationis ſcribendique genus corrupit quoque? An vero quia in carmine pangendo, Areoſto, Tanſillo lyricisque veteribus ſimiles eſſe parvo negotio poſſumus, ob miram verſibus inſitam muſicen, quae menti magis adhaereſcit imprimiturque: proſae vero orationi non idem evenit, quae legentes minus oblectat, minuſque animo inſidet, ob minorem periodi membrorumque harmoniam? Sed fortaſſe ad hanc ſcribendi negligentiam conſpirat Italorum Lexicorum mira confuſio. De quibus dicere quum ad Bibliothecam pertineat, paucis dicamus. Etenim optandum eſſet, ut, quo pacto in Latinis Lexicis, vel ſaltem, in illorum primario, aetates Latinae linguae recenſentur, aurea, argentea aenea, ferrea, cum ſcriptoribus ſuis, ideſt ad unamquamque aetatem pertinentibus, ita de principe ſaltem Hetruſco Lexico fieret. Quippe quod incredibilem verborum copiam praeferet, modorumque dicendi omnium ferme temporum, ex quo Hetruſca vel Italica lingua in more eſſe coepit. Praeterea glotas continet, peregrinas nempe voces, ruſticas etiam & de Hetruſcorum triviis: puta quas Michael Angelus Bonaroti in comaediis, quas Boc-

ca-

catius in Fabellis; dum ille colonos, hic feminas, ſervos, Venetam etiam plebem imitari cupit. Ejuſmodi autem vocabula, diverſo aſteriſco notanda forent, ne ignari hic & nunc deciperentur. Etiamſi a popularibus Venetis vocibus in Fabella Liſettae Boccatiana, deceptus etiam fuit Ludovicus Caſtelvetrius, grammaticorum criticorumq; ſollertiſſimus: juſto enim judicio in iis plerumq; fallimur in quibus alios corripimus. ſed quandoque eveniet in Italicis etiam literis quod in Graecis, Latiniſque accidit. Ut namquae Graeci Latinique ſermonis amatores veri & ſervatores, de medii aevi Graecitate ac Latinitate, Lexica ſibi ſua aliiſque condidere, ita ſalaputium diſertum naſcetur aliquando, quod ex hac immenſa verborum colluvie medii Italici aevi, Vocabularium componat, rejectis peregrinis nimium verbis, comicis, rudibus, de trivio, non quidem in loquentis aut ludentis, ſed in eleganter ſcribentis juventutis uſum; utque addendum in Bibliotheca ſit, in ea claſſe quam Verborum Indices nominavimus. Nam, ut ait Horatius, illud veriſſimum eſt: *certum & tolerabile rebus, concedi medium.* itaque linguis quoque id uſuvenit, Italicae praecipue, quae quum jam ſeptingenteſimum annum exceſſerit, ni cautum a ſapientibus fuerit, flos ille ſeu virtutis medium, ut ne nimiam antiquitatem, nimiamve novitatem redoleat, interire quam cito poterit vel defloreſcere. Sed haec ſatis ſint, quae eo attigi, quia Lexica Indiceſque verborum ad Bibliothecam pertinent. Nunc reliquum dicamus, quod ſuperius propoſuimus, id eſt pluris intereſſe ut Bibliotheca conclavibus diſtincta ſit, ſcriptorum rationes ſingulas continentibus, quam ſi una aedes libros omnes capiat o-

cu-

culiſque ſubiiciat. Certe Alexandrina Bibliotheca, ut ex Hermogene habemus cellis diſtincta extitit. Hoc pro exemplo ſit: ſed ratione agamus. Animadvertendum eſt, ſeris hiſce temporibus immanem nimis literarum artiumque molem nobis impendere. Etenim, ut de literis dicam, quatuor ut minimum, veteres linguae ſunt, quae nomine pleriſque, re autem ipſa paucis innoteſcunt; Hebraea nimirum, Graeca, Latina, Italica. Eae quidem, ſi Italicam excipias, mortuae: Italicae vero Gallicam addas & Hiſpanam, eo intuitu ſolummodo, ut nempe doctorum hominum libros perlegere poſſis. De rebus vero ipſis artibuſque, quot, quam diverſa ſex hiſce ſeptemve linguis diſputata ſunt? Igitur, ſi quae omnia literis demandata ſunt, totidemque, ut diximus, literis, uno mentis, vel oculorum dumtaxat intuitu perſpicienda ſunt, nae quemvis omnino terrent aut obruunt, aut ſaltem faſtidio moleſtiaque incredibili complent? Quapropter, quantumvis majori parte, ut ſuperius diximus libri perierint, licet etiam ex iis qui reliqui ſunt, non dicam optimi ſed boni libri minori numero exiſtant, adhuc tamen partitione opus eſt, ne minor ſit mentis ſenſus quae pluribus intendit. Neque ingeras: ideo poetas, hiſtoricos, oratores, philoſophos, ſeorſum colligendos. Addam enim ego Chemicos, rei culinariae, agrariae ſcriptores, deque mulomedicina. Partitio enim iſtiuſmodi mera confuſio fuerit, ob ea quae ſuperius diſputavimus. Sed legenti liberalibuſq; artibus operam danti, adhuc partitione ac diſcretione opus eſt, ita ut ſingula ſingulis referat, mentemque, vel Graecis vel Latinis tantum adiiciat: aut ſaltem quo tempore hoc agit, alterum omittat.

VI. *Eorum quae contra dici poſſunt confutatio*

Nunc, quum de utilitate commodiſque Biblio-

the-

thecae noſtrae dixerimus, jam quae obiici poſſunt, diluamus. Nihil enim adeo redargutionibus obnoxium eſt, quam nova aut ex parte aut in totum opinio. Primum omnium, objurgabit nos aliquis vel a nobis petet: ecquis tandem Bibliothecae modus futurus ſit. Certe etenim poſt veteres Hebraeos, Graecos, Latinos, Italoſque, ſi quis Hebraicae, Graece, Latine atque Italice ſcripſerit, prioribus addendus eſt. Atqui, quum velimus eos tantum qui praeſenti ſaeculo MDCCXLVII. ſcripſerunt, non digerere ſed tantummodo recenſere, infiniti paene operis provincia ſuſcipietur, ſi Italicae tantum Latinaeque linguae ſtes. Adde praeterea illos qui Gallice, qui Anglice, qui Hiſpanice, Batavice, aut quovis alio vulgari ſermone libros elucubrarunt; ad ſatietatem ſimul ac aeternitatem labor properabit. Ni credis, conſule quaeſo Trevultiana Acta, Lipſienſia, Anglica, Florentina, Veneta: eorum qui in iis Actis recenſentur opera, Architas Tarentinus dixerit, qui methodum Geometricam inveniſſe fertur definiendi, utrum pares an impares ſint arenae maris. Nam ſi tantus ac paene infinitus numerus auctorum eſt, quinam erit librorum? Quid autem refert, utrum in peculiari, an in publica Bibliotheca ii omnes locum habituri ſint, quum tam immenſum locum inveniri in quo contineantur, vix ullus Architectus fateatur? Fateor ego vero redargutionem hanc Bibliothecae noſtrae, ut numero primam, ita dignitate parem eſſe. Nihilominus neque Plato perfectiſſimam Rempublicam deſignans ideo territus eſt, quia illam reapſe dari non poſſe pervidit, neque Cicero perfectum Oratorem effingere deſtitit, quia confeſſus ſit, neque illum ſe inveniſſe, & a nemine inveniri poſſe: neque Ariſtoteles artem

poeticam docens, ideo obmutuit, quia desperaret absolutam numeris omnibus Tragoediam effici. ut autem illi omnes prototypum absolutissimum posuere, cui quanto quis similior, tanto perfectior, ita & nos ei Bibliothecae assentiemur, eam optimam judicabimus quae nostrae fuerit quam simillima. Etiamsi nonne ii sumus qui aedibus nostris (quae tamen ad luxum & delicias ponuntur) solida jugera capiamus? an ne sylvas ad venatum, latifundia ad utilitatem muro circuimus aliquot milliarium? Hoc private: publice vero Theatra, Odea equidem nostra quamcumque immanem Bibliothecam capiunt: quae praeterea, quantumvis lata ac copiosa, non colonis indiget, aut multo aere, ad humum subigendam, ad ocandas vites, ad arborum insitiones, aliaque id genus georgica. Sed neque tot servis, ut domui, neq; mulionibus in stabulo opus est: quare omni alia aede Museum minus sumtuosum est. Secundo urgebis: ecquidnam de *Commentatoribus* deque *Traductoribus* agendum? sunt enim *Commentatores*, si non lingua certe aetate diversi ab iis, quorum libros illustrant; *Traductores* vero & lingua & aetate. Qua in re etiam isteron proteron accidere potest, vel ut clarius dicamus, ad id quod absolutum est reditio. ex. gr. Theodorus Gaza Ciceronis Officia de Latino in Graecum vertit, Latinaque alia. Idem dic de Basilicis, in quibus versio est Graeca Romanarum Legum. Igitur isti si aetatem spectes, post Latinos collocandi, si linguam, Graecos inter. Rursus qui Graecos vel Latine, vel Italice converterunt, ex nationis & populi lege, vel in Latinis vel Italis reponendi sunt, quique ex Latinis Italicos fecerunt, ad Italos pertinent, ex priori gentis lege Bibliothecario, indicta.

ta. E converſo, ut diximus, *Commentatores* etiamſi lingua conſoni cum eo veteri quem illuſtrant ſcriptore, ab eodem, aetate differunt. Verumtamen, non Lycurgi noſtra lex eſt, non Charondae vel XII Tabularum, de quibus legibus aut earum aliquibus dixere: non atramento, ſed ſanguine ſcriptas eſſe. Quaſcumque autem ſeu mites, ſeu acerbas leges, adhuc ſua manet epicheja ſuaque interpretatio. Praeterquamquod illud ſcimus ac libenter concedimus: mentem non literam, aequitatem non rigorem legum omnium legem eſſe. Sed quum duo dixerimus propoſita librorum diſponendorum axiomata, linguas atque chronologiam ordinemve temporum, ſi iſta duo pugnent, ei legi ſtandum judico quae alteri praevalet. Exemplis rem tranſigamus. Qui commenta aut adnotationes auctoribus addiderunt, illi, ſcriptori ſuo lingua, ipſoque, ut plurimum, volumine adhaerent. Quare, etiamſi chronologicae legi non obediant, attamen legem idiomatis ſervant. De *Traductoribus* (quo verbo abutimur ad brevitatem ac perſpicuitatem) ſi Graeci, ſi Latini, ſi Itali ſint, aut aliarum quarumcumque linguarum, inter populares ſuos collocandos puto. Itaque ipſi pariter legem idiomatis generaliter ſervabunt, peculiariter vero temporum ordinem, ita ut inter ſuos qui primi ſcripſerunt, primi ſint, qui ſecundi, ſecundo loco, & ſic de ſingulis. Non operoſum fuerit de manuſcriptis dicere, ſi quis interroget, quo loco reponendi ſint. Manuſcriptis quidam peculiarem claſſem aut pluteum, aut cubiculum volunt conſtitui. Melius eorum quodque ſcriptori ſuo accedet, ſive Graecus ſive Latinus, ſive Italus fuerit. Olim etenim accidit, ut libri quandoque ſtilo, quandoque atramento, tabu-

tabulis deſcripti fuerint: quod jamdiu cera, membranis papyroque fiebat. Non igitur quocumque modo libri deſcribantur (quod ad materiam facit) formam ipſam infirmabit, quominus linguas ordinemque temporum M. S ſequantur. quare, ni ſcriptoris nomen notum ſit, ex characterum forma, aliove adminiculo, ſaeculum quo ſcripſerit, innoteſcet. Sed reviviſcit adhuc difficultas, ſi eos auctores conſideremus qui Latini quum nati fuerint, Graecae ſcripſerunt. ex. gr. Pomponius Atticus. Item qui Graeci Latine, ut Marullus Tarcaniota. Poſtremo qui, vel Galli, vel Germani, Itali, Hiſpani Latine elucubrarunt, vel Graece. Hinc enim natio trahit, inde vero ſcribendi genus: idque ferme ſcriptoribus iſtis in Bibliotheca noſtra eveniet, quod Pancratiaſtae cuidam, quem, quum poſt victoriam, Graecae urbes ſibi manu vindicarent, ab hinc inde trahentibus diſcerptus eſt. Certe, quando etiam digniorem partem ſequi velimus, plus patria quam lingua eſt: quare Athenis natus, vel Romae, patriae non ſcripturae adjudicandus. At: non longos logos. Nam de literis liberalibuſque artibus agendo, dignior eſt lingua quam patria, immo glorioſior. Nunc poſtrema difficultas reſtat ac quaeſtio: ecquidnam de proſcriptis libris agendum ſit quos *prohibitos* vocant. Nemo autem hominum qui ſanus ſit, nos damnet aut culpet ſive redarguat, eo quod iis libris aditum in Bibliothecam aperiamus, adverſus quos jura atque honeſtas clamant. Neque, proſcriptorum librorum ne legantur lex ex illis eſt quae abrogari privilegio non poſſunt. Qui ergo illo donati ſunt, aut in iis regionibus vitam degunt, in quibus lex lata non eſt, aut ſi lata, non accepta, monentur a nobis, quemcumque proſcriptum

ptum librum loco ſuo reponere, ſervata temporis & linguarum cathegoria. Qui proſcriptos libros, legere prohibentur, illis omnibus Bibliothecam ſuam exonerare poterunt. Igitur, ut propoſitum fuerat, difficultatibus ſatisfecimus.

Sed jam ad peroratiōnem deveniamus. Diximus itaque ab initio Bibliothecas libroſque omnes majori parte periiſſe, adeoque majori cura eos qui ſuperſunt ſervandos eſſe; idque ſatis probatum eſt adverſus Pyrrhonios, ſcientiarumque ac literarum obtrectatores. Bibliothecam diſpoſuimus, ex linguarum exque chronologiae ordine, tum ea quae obiici poſſunt, confutavimus. Nunc diſputata cauſſa (quod oratores ajunt in formulis ſuis & ſolemnibus rhetorum verbis) macte animo eſtote, ad ordinem a nobis propoſitum exequendum, qui non modo copiis & divitiis, verum etiam ingenio & judicio valetis. Siquidem haec duo vel ſi mavis tria, ad magna opera illuſtria liberalia magnifica perquiruntur. Ego etenim eum qui neque pollet, neque intelligit, infelicem puto, qui opibus inſtructus eſt, non miſerum, qui vero intellectu ac divitiis valet, eum beatiſſimum judico. Sed quum Bibliotheeae omnes, partim privatae, partim publicae ſint, jam qui publicas curant, vel inſtituunt, vel ornant, aere alieno id faciunt, cujus ſumtu ipſi liberi ſunt: ingenio igitur & judicio iis tantum opus eſt, eaque praeterea, qua tutores & curatores agere debent benevolentia. Privatus vero ſi divitiis, ingenio, tum doctrinae cupiditate abundet (quae tamen omnia in uno eodemque homine raro conſpirant) is poterit quantamcumque volet Bibliothecam inſtituere atque ordinare. Si vero modicis facultatibus praeditus ſit, ſtultiſſimus omnium hominum futurus eſt, ſi

VII Oſtenſio totius artis.

Mu-